



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Syntaxis Joa[n]nis Despauterij Niniuit[a]e Berga[rum] diui
Guinnoci ludimagistri**

**Spauter, Johannes de
Argentorati, Anno, M. D. XV.**

Regvla. II. Omne dat actium, tolle interdicere, quartu[m]. Hoc uerbum
sextum, pro quarto sepius optat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70853](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70853)

uel hac re. exempla sunt apud comicos facilia inuētu. Admoneo te puer ne alia neutra pro actiuis capias, q̄ ea que authoritate doctis simorū probari possunt. Curro cursum, ludo lusum, gaudeo gaudium, & similia leguntur. ut. uiuo uitā &c. Virg. xij. Aenei. Amplius hunc oro sine me furere ante furorē. dicimus etiā gaudeo gaudio, ut docet Mancinel. Virg. ænei. i. Quid natū toties, crudelis tu quoq; falsis Ludis imaginibus. i. illudis. Seruitutē seruiō. apud Cice. & Gellii. Rides me pro derides. non rarēter leges apud comicos. Doleo. i. egre fero. doleo epistolā cōscissam. doleo dolorē, doleo damna uel dānis, uel propter dāna. Doleo ab oculis &c. uide Mancinel. & que ante diximus. Eo uia & uia. Virg. ænei. iij. Longā incommitata uide tur ire uia. Terē. in Phor. Eo recta uia equidē illuc. Fluo pro affluo ablatiuū habet. Ambro. Peccator q̄uis foris abundet, & delicijs fluat, odoribus fragret in amaritudine animę suę uitā exigit. Vir. Nec uox hominē sonat. Boetius. Siluas dulci uoce susurrat. i. susurrādo replet. & dicitur figura euphonisimus. Huc etiā reducito uerba uiuenti accusatiuū pro aduerbio regētia. Boetius. Qui segnis ac stupidus torpet, asinū uiuit, id est asinine uel in morē asini. Iuena. Qui Curios simulant & bacchanalia uiuūt. Virg. Salue æternū mihi maxime palla. Aeternūq; uale. Idem. Et longe formose uale. potest tamē esse accusatiuus tēporis, hic inuentis q̄ inueniendis magis utimur, quia stertis selem non dicam, sed stertis more felis. Sapiō antedictū, habet pulchrum usum, ueluti. Quū sapiamus patruos, hæc sapit esca fauum. Carnes sapiunt adustionem, piper, allium. Ceruisia sapit uas uerba tua sapiunt stultitiā. In quadragesima cibus olet oleū. Cibus olet adustionē. Orationes demosthenis olent lucernam. Horati. Passillos rufillus olet, Gorgonius hircum. Plura uidebis in sequenti lectione.

REGVLA. II.

Omne dat actiuum, tolle interdicerē, quartū.

Hoc uerbum sextum, pro quarto sepius optat.

Omne uerbū actiue significās, regere pōt post se actū rei in quā trās sit actus uerbi, q̄ q̄dem actūs uertit in ntm, ubi passiuē loquimur. ueluti. Tu amas me, ego amor abs te. Aro terrā, terra arat a me. Osculor matrē, mater osculatur a me. Fur aurē furat, aurē surripit a fure ubi nāq; uox passiuā non est, ad synonymū, aut significatiōē ppinā quum recurrendum est, ut loquor uerba. uerba dicuntur a me &c. Verba huius regulę a nonnullis transitiuā dicuntur, & accusatiuū regunt, ut propriū casum, utpote qui a passiuis non regatur. omnē au

R iij

rem aliū casum actiui potest regere passiuū. Interdico patuit. huic ad-
denda uidentur. Inuideo & iubeo. quia inuideo tibi & tu inuideris
a me. Iubeo tibi. Tu iuberis a me dicimus, sic imperor, ut tamē Diodo-
medes monet, a multorū passiuis abstinentū est, quia libētius p im-
personale dixerō. Inuideēt tibi. Iubeēt & imperat tibi, q̄ iuideris &c.
sic maledicitur, obijcitur tibi &c. Verba huius regulę sunt quadru-
plicia. Primū uerba actiui generis quę desinūt in o & faciunt ex se
passiua, ut amo, peramo. adamo, ago, aspicio, peto, appello, cōpello
as. & cōpello is. absoluo, amitto, extermio, cano, cōsulo, mergo, sanz-
cio, sperno, quæro &c. pene infinita. Secūdū uerba neutra transiui-
ua, ut ambio honorē, pitisso ceruisiā, pulso campanā, sic aro, bibo,
cœno, prandeo, pinso &c. sed Nebrissen. (cui penitus suffragor) dicit
aro, comedo, bibo &c. uere sunt actiui generis, quia latine dicit, ego
aror licet false, ueluti bos alatus disputat, latine dici nemo inficiatur
Falsē dici omnes scimus. uerū autē a falso discernere non grāmatici
est, sed dialectici, & si poeta terrā aut uinū conquæri ostēdat qd' ab
improbis aretur, aut bibat, uel frumentū cōmedat, non inepte dixer-
it aror, bibor, comedor &c. multorū tamē actiuorū passiuua in raris-
simo usu sunt, ut iam diximus de iubeor. Serui. in illud. x. ænei. Hęc
ait & socij requierūt equore iusso, inquit pro ipsi iussi, est usurpatū
participiū. nam iubeor nō dicimus, unde potest uenire iussus, sic er-
go hic usurpauit participiū, ut Hora. uerbū dicens. hęc ego procura-
re, & idoneus imperor & non inuitus. Virgi. Nec mutata suos rege-
runt flumina cursus. i. quiescere fecerūt, neq̄ enim hic est passiuum.
hęc Serui. Similiter raro legūtur scior, optor, speror, & plura. Memi-
ni, odi, noui, & plura defectiua atq̄ anormia huc pertinēt, licet ex se
passiua nō faciāt. Tertiū multa deponētia sunt actiua, ut abomis-
nor, aspernor, popolor, ulciscor &c. Hora. Pindarū quisquis studet
emulari, deos testor. Est ubi te ulciscar loc⁹ &c. Quartū cōmunia
actiue capta, ut osculor &c. Hęc in quinto & sexto capitibus decla-
ramus. Hinc patet differētia inter uerbū actiuū & uerbū actiui gene-
ris. Nā uerbū actiuū est quod agere uel quasi agere significat, siue
desinat in o, siue in or, quodq̄ a fronte significat rem agentem uel
quasi agentē, & a tergo patiētē uel quasi patientē, ut uideo te, audio
cæsare, timeo tyranuū, colo terrā, uane pfecto & supstitiose (ut tra-
dit Nebrissen.) multi disputāt, & in quibus nulla est difficultas, inge-
runt difficultatē, qui dicūt actiuū esse, cuius actus transire pōt in ani-
mal rōnale uel irrōnale, q̄ uis antiquorū qdam etiā sic docuere. sed
maxime insaniūt q̄ conātur pueris mōstrare audio, uideo &c. passiu-
ue significare. nam hęc ad philosophū speciāt, nō ad grāmaticū. hęc

& plura doctissimus Hispanorū Aelius Nebriss. Ideo diligentissimus necnō exptissimus Curius Lanci. Ferrariēsis addit particulā quam modo posuim⁹, uel quasi agētē uel quasi patiētē. Quū nēpe ita cōp tum habuerat ranas ægypto pulsas italiā, germaniāq; sed mitoma⁹ gis Galliā, Hispaniāq; occupasse, stultis coaxationibus, molestas oī bus, utiles nemini. Verbū actiui generis quod desinit in o & c. Plau. in Pænu. ut deū ppitiū. Itē illud faciet nisi te ppitiū, i. ppitiā reddo. Fugio te, Luca. Fœcūda uirorū Pauptas fugi. Raro tamē legi fugi or, sto, sedeo, & similia dicuntur absoluta, quia nec dtm nec actm, ut p priū casum habēt, sed neq; aliū poscunt pro sentētia pficiēda, Actiua sepe ponūt absolute, ut amo, p amore captus sum. Ouidi. Et siqd fa ciam, nunc quoq; queris, amo. Coeo absolutū, i. cōuenio. Actiū, i. facio, ut coeo societate cū Petro. Cic. in Philip. Cn. pompej cum C. cæsare societate aut nunq; coisse. Duro actiū, i. durū facio, ut Sol durat lutū uel limū, absolutū, i. durus sum uel permaneo. Vir. Du rare & uosmet rebus seruare secūdis. Fluo, p emitto, ut dabo tibi ter ram fluentē lac & mel, actiū in ppria ꝑo significatiōe est absolutū ut inundo, p crescere, ut aqua ueluti lisa inundat, p repleo est actiū. Virgi. Nec inundat sanguine fossas. Mano as. absolutum significat fluo. Oui. De ppe curreti flumine manat aqua. Actiū significat ef fundo, effluo, ut fons hic manat dulces aquas, quod p abltm rectius dicei. Moror actiū, i. expecto uel detineo, ut qs te morat, i. detinet. Moror absolutū, i. habito, maneo, pseuero, moram facio. Obeo acti uum, i. finio munus siue expleo. Terē. Is obiit mortē. Obire negocy um, i. facere, absolutū significat morior. Poto uinū. In sacris dī, Pos tauerunt me aceto. Stillo, i. stillatim cado, absolutū est, ut gūmi stillat ex arbore. Stillo, i. emitto, actiū est, ut nasus stillat sanguinē uel sanguine. In sacris. Stillabūt montes dulcedinē. Sudo, i. sudorē emitto, actiū est, ut filius dei amarissima passiōe sua iminente sudauit, q; si guttas sanguinis in terrā decurrētis. Ego sudo absolutū notum est Supero te, i. uinco, actiū est, supero, id est supstes sum, uiuo absolu tum est. Virgi. Si supant foetus pariter frumēta sequētur. Idē. Quid puer ascani⁹ supat ne & uescit aura etherea? Actiū, p passiuo nō re git actm, ut p cipitat pro p cipitat & c. Alexāder dū pdit tēpus, dū cō parat, i. cōparat. Allatro tibi, aliqñ allatro te, ut i adagio. Canes igno tis oībus allatrāt. Rudolfus Agricola. Occurrēt allatrāt. Martia. al latres licet usq; nos & usq; tu semp pone cū dtō. Nōceo in sacris fe re habet actm. Obūbro tibi & te. In euāg. Et uirtus altissimi obūbra bit tibi. In Mattheo. Nubes lucida obūbrauit eos. In lib. Sapi. Nam nubes castra eorū obūbrabit, Scādo tectū & tecto, Manilius. Quod

Ioannis Despauterij Niniuite.

queris deus est conaris scandere cælo. Virg. Scandit fatalis machina
muros. Subeo tectū & tecto. Virg. lamq̃ propinquabāt tectis mu
roq̃ subibant. Idē. Hęc inquit limina uictor alcides. Subijt. Eripio tibi.
i. aufero a te. Eripio te. i. libero. Impono tibi. i. decipio te. sed ne q̃s
opinetur uerba oia synonyma diuersos petere casus, sciat. Impono
non proprie significare decipio, quia impono tibi subaudiri uideť
fraudem, dolū, aut quid simile. sic uescor. i. pascor, non autem come
do. sic in suplico, illudo &c. facile iudicauerit ingeniosus (nisi forsitā
rarissime) synonyma petere diuersos casus. Quæro te notū est, quæ
ro tibi uxore, notū etiā est, quæro tibi pro interrogo te. rusticū esse,
immo penitus ineptū opinamur, sed dicendū est quæro a te uel ex te
Tulli. Quæro a uobis. Idem. quæro ex te. Persius. Quære ex me q̃s
mihī quartus Sit pater, haud prompte dicā. Soluo te. i. libero. soluo
tibi. i. quod debeo tibi satisfacio, ut soluo tibi nūmos, sed nostrū (ut
Horatiano uerbo utar) Præceptū auriculis hoc instillare memento.
Tu uiuendo bonos scribēdo sequare peritos, quia in sacris legūtur
quædā a nobis modo adducta, non usq̃ quaq̃ sequēda. Adhortor
illū ad uirtutē & de uirtute. uide Thef. Mancī. Amisi boues. i. perdis
di. Amisi a me illū. i. remouī. Teren. in Phor. immo nunc (qd̃ aiunt)
auribus teneo lupū. Nam neq̃ quomō a me amittā inuenio, neq̃
uti retineā scio. Animaduerto hęc. i. obseruo. animaduerto i fontes. i.
fontes punio. Sueto. in Aug. Perusia capta in plurimos animaduer
tit. Teren. in And. Ea primū animaduertenda est ab illo iniuria. Ap
plico me ad terrā, & applico ad terram. uide Thef. Mancī. Aspicio il
los uel ad illos. uide eundē. Colloquor illum ueteres dicebant. ut in
plauto sepe patet. Nos colloquor cum illo. Sueto. in Clau. Collo
cutus sum cum Tyberio, ut mandasti mea Liuia. Cōpescō illū insā
niētē insanire, & ne insaniat. Prisc. li. xvij. Conq̃ror hęc rē, ob hęc rē
hac re et de hac re. conq̃ror tibi, & apud te hoc, & de hoc. uide Thef.
Man. dedignor hanc rem, olim etiā hac re ait Seruī. ænei. iij. Dego
ætatem & uitā. licet Plautus ablatiuo usus sit. Facio te certiorē. Vir
gi. metri causa certū dixit. Grauor pluma passiuē dicitur. grauor p̃
lentiā tuā &c. id est grauiter fero, deponēs est, Sueto. in Augu. Am
pla & operosa pretoria grauabāt. Ouidi. lib. iij. trist. Illa meos casus
aggrauat, illa leuat. Indignor hanc rem & hac re. Prisci. xvij. p̃ actm̄
loquūtur. Cice. & Virgī. uide Thef. Man. iuro terrā & p̃ terrā. Vir.
lib. xij. Hęc eadē ænea. terrā, mare, sydera iuro. ubi Seruī. ornatio
locutio & crebra apud maiores q̃ si uelis addere p̃positionem. Sap
pho Ouidiana. Perc̃ nouē iuro numina nostra deas. Ago gratias,
nō gratiā. licet Philel. in epistolīs non obseruet, habeo gratias & gra

tiā. refero gratiā nō grās. Ago uerbo, habeo aīo, refero factō. Plau. dixit, refero gratias. in Amphi. Ne ille edepol se merito meo referre studeant gratias, aliquē hominē alligent. i. subornent, immittant, des- stinent. Plautū sequit̄ in epistolis semel aut bis Philelphus, malo seq. Vallā cuius est dicta præceptio. Plautus in Milite. Date operā amī- cabilē. i. amice iuuate. Do & refero, pulchras habent constructiones uidete Calepi. Qui inter cæteros dicit, do nūc habere duos dtōs ex- pressos. Vt apud Cice. li. ij. offi. Ne Marco quidē Seio uitio datum q̄ in charitate annonę asse modiū dedit populo. Nūc alterū subau- ditum. Vt apud Terē. Quā rem uitio dent q̄so animaduertite, dent sub. poetę. Nunc datiuū cū actō. ut do tibi ueniā. Nūc intercadente p̄positiōe duos actōs, ut do ad te literas. Nūc cū eadē post dtm actm habere. Itē significare, uēdere, offerre, obijcere, inducere, dicere, obtē- perare, p̄stiuere, facere, cōcitare, sustinere, concedere, de q̄bus oibus ut de Refero exēpla adducit. Miror me, id est mihi placeo, sic miraris te &c. Duco diem de die. i. in longū protraho. dico diē, id est tempus cōstituo. Acceptū fero. i. fateor me accepisse, & habeo p̄ accepto. hīc acceptilatio. Odoror aris. i. odore p̄cipio, actiuū est. Admiratus no- uitate nominis in ablatiua dixit Cice. Aequo magistrū, æquiparo patrē, ait Diome. Facio iter, id est eo. Habeo iter, id est ire debeo. Fa- cio uia, id est aperio eundi locū ubi non erat. Facio uitula ablatiuus est, & subaudit̄ uenuste actūs sacrificiū aut sacra. Virg. Quū faciā uī- tula pro frugibus ipse uenit̄. Corripio telū, id est arripio, etiā signifi- cat rēphendo. Inhio hanc rē, id est habere desydeho, ait Serui. in illud Virgilianū Georg. ij. Nec uarios inhiant pulchra testudine postes. Hiare inquit Landinus est os aperire, sed quia qui aliquid admiran- tur, aut uehemēter cupiunt hiantes, id est aperto ore id spectant. Inhi- are concupiscere dicimus. Inhio huic rei uide regimen datiuui. Naui- go æquor. Iuro solē, uerro terrā, est græca figura, quia intelligit̄ per- ait Serui. in illud. Gens inimica mihi tyrrhenū nauigat æquor. Cru- ento uestem, id est cruore maculo. Virgi. ænei. x. Tundit humū, ex- pirans infractaq̄ tela cruētat, uulgus cruento pro sanguinē stillo ca- pit, sed inepte (ut opinor). Dico grates & refero, poetiū est. Virgili. ænei. xi. O decus italiæ uirgo q̄s dicere grates. Quasue referre parē. Stabilire latine dicit̄. Plau. in Amphi. Creontū regnū stabiliuit suū. Vindico te. i. ulciscor. uindico in te. i. punio te. Salu. Vindicatū fuit in noxios. Do salutē. i. saluo aut sano. Plau. in Merca. Des pacē p̄pi- tius salutē & sanitatē nostrę familię. Affero te ab iniuria. i. libero, de- fendo. Pecco scripturam. i. male lego. Plau. in Bacchi. librū legeres si unam peccauisses syllabam, fieret corium tam maculosum q̄ est nu-

Ioannis Despauterij Nintulæ.

tricus palliū. Ago, facioq; differūt, authore Aristotele. vi. æthi. & ix. meta. Nam facere est rerū in materiā exteriorē transeuntū, ut feci domū, librū, opus. Agere v̄o est rerū immanentū, ut ago fortiter, prudenter, ago orationē, quā differētiā etiā doctissimi linguę latinę obseruant, teste Nebrissen. Adamare est uehementer amare, sed lasciuę plærūq;. Deamo ualde & honeste amo. Amare cōcupiscētis est, diligere rationis. Sic Nebrissen. Colere est superiores cum obseruantia quadā amare, etiā significat exornare, exercere, habitare. Traho. i. uolenter rapio, deduco, reduco, comitatū prestare dicūt. Deduco nauem, id est ex nauali in aquā immitto. Subduco nauē. i. ad terrā duco. Ago oues. i. ante me cogēdo impello, En ipse capellas Protinus eger ago. hanc etiā uix tityre duco. nam caprā illā quę partu soluta erat deducebat. i. se illi ducem exhibebat, uixq; sequi poterat, reliqs agebat. Ago equum etiā significat equū insidendo moderor. Vehimus quę humeris, aut capite portamus, sic equus uehit fessorē, nauis r̄autā, aqua lignū. quę autē manu portamus, non recte dicimus uehere. Inchoo hęc rem. Virgi. in geor. Te sine nil altū mens inchoat. Idem. vi. enei. nocturnas inchoat aras. Ideo inquit Nebris. hęc uera. Geor. Merula iure Galeotū Martiū p̄ceptorē meū refellit q; in titulo cuiusdā operis sui scripsit liber inchoat, primus Lanci. meminit huius altercationis inter Galeotū & Merulā. & dicit Quintilianus sic locutū esse. liber inchoat, ubi quidā dixerūt inchoat pro inchoatur, ut p̄cipitat pro p̄cipitat. Addit Nebrissen, Incipio, & si cum actō construi potest, recte tamē possis dicere, liber primus incipit, sed rectius profectō liber primus incipitur. hęc Nebrissen. Incipit recte dici uideor posse probare ex Plauto in capti. dicēte. Q; diu id factū est. Annus incipit uigessimus. In eo in magnis rebus locū habet, ut in eo, pacē, societate, fœdus, nō autē prandiū, cenā &c. Itē in eunte ætate, pueritiā &c. nō ineunte hora, sed potius incipiēte. Plau. in Asi. A me initis gratiā. Vindico hanc rē ab iniuriā. i. libero. Salio cum actō significat foeminā inire. Ouidi. in. ij. de arte. leta salit ouis. Hinc salax libidinosus, salacitas, libido, cauda salax. i. pœnis. Cano arma, uirūq; notū, cano progressui in datiuo, cano receptui, quibus historici sepe utūtur. i. ut melius p̄grediant &c. Macro. li. ij. in sopnū scipionis. Ad bellū p̄gressui atq; etiā receptui canit. Affero te manu id est meū esse ostēdo & libero. Participo te. Plau. in Stī. Vbi sint qd agant: neq; participāt nos, neq; redeūt. deficio te actiuū est, ut deficit me dies. Oui. Deficio prudēs artis ab arte mea. i. destituor, derelinqr. In multis dura sunt passiuā, ut adeo te. uix adeo a te, sic p̄eo &c. aditus, obitusq; participia legunt, deficit mihi res declarauim⁹ in res

gimine datiu. Calepi. multa dicit, deficio hac re cū ablatiuo. i. significat careo. Colu. Cōmode fluūt nec deficiūt macro solo. Facio uisum. i. corrūpo. facio sementē. i. semino. Facit uela nauta ubi exponit nauigationi. facio pedē. id est funē quo tendit uelum. Virgi. una oēs fecere pedē. Facio naufragiū. i. patior, sic damnū &c. Facio carmina, fabulas &c. nota sunt facio risum, stomachū uel bilē, id est irā hoc est moueo, facio delicias. id est lasciuio, lusito. Hiero. dixit in canticis deliciarī, facio furtū. i. furor. facio silentiū. i. sileo. facio potestātē, id ē do libertatē. facio sermonē. i. habeo. facio tamē uerba nō habeo, facio iacturā. i. patior dānū. facio morā. i. moror quod significat expecto, aliqñ etiā curo. Plau. Nil moror istas magnas dotes dapfiles. Item in mora teneo. Quinti. Quid me adhuc pater retines, quid moraris abeuntē. Facio missa. i. omitto. facio rem diuinā. i. sacrifico. Facio ad hanc rem. i. profum. Ouidi. Non facit ad lachrymas barbitos ulla meas. Facio mulieri. i. coeo. facio finē. i. finio. hęc de facio Lanci. Sufficio patuit in regimine datiu, unde est sufficior in locum Petri. Strāgulo i. trucido. Sueto. Qui eū meridiātē quasi britānici emulū strangularēt. Rūpo silentiū. i. loquor. rumpo uocē idē. Inescare est q̄si esca decipere. Terē. Nescis inescare hoīes sanio. Maritare, dolare &c, pene infinita actiua sunt. Mereo cum actō. i. lucrō. Hora. Hic meret æra liber solijs. sic liber meus merebit multis argentū & aurū. Sue. in Nero. Quorū duces quadraginta milia festertia merebāt. mereo ære, cū ablatiuo precij. i. milito. Luca. gr̄e merēt paruo. Taceo hanc rem & de hac re, sic sileo quorū passiuua lecta sunt in doctis. Trāseo urbē & per urbē. Exaro librū uel epistolam, id est publice scribo uel edo. perfrico faciē os uel frontē. i. pudorē depono. Disputo hanc rem & de hac re. Cice. plura in hanc sententiā ab eisdē cōtra uerecundiam disputant. Quinti. de facto disputat, quū de amore quærat. Participo ante posuimus, quia actm̄ regit. Cic. Qui alteri exitiū parat, hūc scire oportet sibi paratā pestē ut participet parē. Gelo actiuū ē. Sene. in natura. hoc em̄ euenit, quas frigus ab ipsa tenuit a te facile gelat. Colu. Cādidus apricat, zephyrus regelauerit aura. deriuo. i. diuerto Cice. pro Milone. Dicam em̄ nō deriuādi criminis causa. Scabo corpus quia Plini. lib. xi. dixit ad scabendū corpus. Cōsolor me hac re. Cice. ad Atti. hoc me cōsolor. Virgi. Hoc equidē occasum Troiē, tristisq; ruinas. Solabar fatis. ulciscor iniuriā. i. facio de iniuria uindictam. Quinti. habet interim lachrymas ex miseratione eius rei quā ulciscit. ulciscor hostē notū est. ulciscor de te. i. uindictā cōtra te facio uel punio te in uindictā. Terē. Haud de te ulcisci sinit. Periclitor hostitē, conor magna. Alloquor te hanc rē. Virg. vi. Extremū fato q̄d

Ioannis Despauterij Niniuite.

te alloquor. Contestor litē, iuriscōsultorū est, quū duo aut plures ad uersarij ordinato iudicio dicere solēt, testes estote, author est Festus. Vitupero contrariū est ei quod est laudo. uitupero onis. i. uitupera tor, ut notat in. Plau. Bapti. Pius. Suauior. i. osculor, etiā in bonū ca pitur. Cice. ad Atti. Atticū nostrū cupio suauari. Idem. ad Tyronē. Veniēs in medio foro dissuuiabor, adhortor te de uirtute, qđ uulgo ad uirtutē. Cęsar de bel. ciuili secūdo. Et de custodia urbis ac de fensione adhortarētur. Declino hęc rem. i. deuito. Cice. li. i. offi. Declinetq; ea quę nocitura uidētur. declino a te. i. caueo, sed idē fere sensus est cum priore. Cice. li. iiii. Tuscu. A malis natura declinamus. Itē de flecto recedo. Idē in Lelio. declinādū est de uia, depono rem tecū, dictum est in regimine datiuī, si rite recordor. decollo. i. collū trunco. Fenestella lib. ij. Quēadmodū cęsar a piratis captus sit, utq; eos postea ceperit & decollauerit, significat etiā excollo deponere. Afranius. Nūc Iouē in tuo collo habes. decolles caue. Sic Perot. in Cornu copę, quod nūc nō est mihi, in eo credo nō nihil lepidę cōstructionis haberi de his uerbis scenero, do, facio, tēpero, elimino, scio, rogo &c. quorū constructionē si nō plene discusserim, nemo miret, quia non omnia p̄cipit unus & regulas dedi nō omnia regularū exempla de clarare promisi, sed ad decollo redeo, qđ in Afranio uidei mihi capi in priore significatione, significat idē decipere, ait Calep. defamo et diffamo huc pertinet, ut idem probat ex Gel. Inclino hęc rē. i. inflecto. Iuue. Atq; ipsos etiā inclinare maritos. Inclamo. i. cōtra clamo, & aliqñ maledictis et cōuicij inflector. Plau. in sti. Tuos inclama tui delinquūt. Clamo etiā actiuū ē. Plau. Plaudūt partim. clamitant me ut reuertar, sepe est absolutū. Nobilito. i. nobilē facio & notū facio recte dicit. uide Perot. Gero p̄torē consulē &c. i. sum p̄tor consul &c. elegantissimę locutiōes sunt qbus Philel. frequēter utitur. Pēdeo, id est pondero, metaphoricōs cōsydero, estimo. unde pensio, pē siculo idē significat. Gel. Pensicula utrūq;. pōdero etiā significat cō sidero, examino, pēdo p̄nas. i. punior. p̄stolor actiū regit & dīm ut diximus. Plau. dum eū domo p̄stolor. Apu. equidē eū magno gaudio p̄stolabar. Molior cū actō diuersa significat. uide Perot. Molior habenas. i. guberno. molior huic insidias. i. cogito, paro. molior arcem. i. ædifico. ludificor te. i. per iocū ac ludū fallo, ut Fauni p̄ notem ludificatur mulieres. Affecto rem. i. nimio affectu & anxie q̄ro. Inde affectatus sermo. i. nimis anxie & (ut ita dicā) curiosē questus, sic affectata oratio & affectatio, curiositas & nimia diligētia, & affectate curiosē capī, aliquādo p̄ afficio. Plau. Tria flagitia ait damna, quibus patrē & nūc teq; amicosq; omnes affectas. Recoilo. i. repeto,

meditor & in mēte tractio, non autē recordor, ut pleriq; indocti usurpant, inquit Perot. Qui. Hęc tua (nam recolo) quondā germana canebat, hic casum nō regit est tamē actiuū. Capero frontē, i. rugis cōstraho & asperitatē uultus ostēdo, tractū a caprorū frontibus crispis. Plau. Quid illud est quod ille caperat frontē seueritudine. Cōsulo te id est peto consiliū, potest addi gūs, ut notat etiā Niger, ueluti cōsulo te remediū, uentilo triticū, uentilo faciē flabello, sonuit tertiā horā & tertia hora pulsata est dicēda, tacendaq; calles, ait Persi. Aucupor gloriā, uenor populū suffragia. actiue usurpatur, nā in prima significatione, sunt absoluta, ut liuere quod metaphoricis, p inuidere datiuum regere probat in Cornucopię Perottus, si oīa circa hanc regulam occurrētia uoluerō annotare, in maximū cresceret regula libri ubi nostra nō suffecerint, aliorū cāpos omnis elegantię refertissimos, peragrare poterūt diligētes pceptores, & dulcissimos flores discipulis carpere, nobis est receptui canendū.

REGVLA. III.

Cælo, rogo, doceo, geminant ut uestio quartos.
 Diuersos, dices ueniam bene poscimus abs te,
 Induo ueste Petrū, dic & uestem induo petro
 Rem tibi uel de re, te cælo dicimus apte,
 Te doceo de grāmatica, tu dicitō parce.

Verba celandi, rogandi, docendi, & uestiēdi regūt duos diuersos accusatiuos, ut cælo te arcana, doceo discipulos poesin, rogo magistrū ueniā. Induo te tunicā. Dixi diuersos, quia multa regunt casus duos pro eadem re acceptos, uel quasi acceptos, ut uoco te hominē, nuncupo te asinū &c. Verba huius regulę uocat Niger transitua, quia ultra propriū casum actiuorū accipiunt secundū casum accusatiuū etiā propriū. Nostrates uocant actiua quæuis transitua, & ponunt triplicē transitionē, debilē scilicet, ubi uerbū petit post se genitiuū, datiuū, uel ablatiuū ut casum propriū, nō autē accusatiuū. Vehemētē ȳo ubi uerbū petit unicū accusatiuū, ut casum propriū, ueluti amo deū &c. Vehemētissimā ubi uerbū petit duos accusatiuos ut casus proprios, ueluti cælo, rogo &c, dixi semper ut casum propriū, ppter datiuū q aliquā cōmunis est, aliquā proprius, ut declarauimus, et propter actm & abltm tps q semp cōmunis est, & abltm instrumēti q itidē cōmunis est & plures forsitan, ut patebit & patuit de abltō & q̄tuor gūs precij, ut quāti doces, quāti cœnas &c. Verba celandi nō inuenio nisi unicū cælo, dicimus autē cælo te hanc rem, cælo tibi hęc